infantibus fidelium obtigit? Quibus tamen medijs ſolis regenerationem in ijs ſe effecturum Deus recepit.

123. Notanda verò hoc loco Sacramentariorum vertigo, quâ turpiſsimè ſibi ipſis contradicunt.
Eph. 2, 3. *Contendunt enim contra noſtram aſſertionem, quâ cum Apoſtolo Paulo, fidelium etiam liberos naturâ filios iræ eſſe, affirmamus; contendunt illi inquam, Gratiam & ſanctitatem infantibus nondum baptizatis adeſſe: Rurſus mox iisdem baptiſatis fidem negant quæ in adultiore demùm ætate per verbum Evangelij ipſis obveniat. Quæ quā ſint* ἀσύστατα *& ſibi* ἀντιφατικῶς *oppoſita, nemo tàm bardꝰ, quin intelligat.*
Gen. 17, 7. *124. Quoad promiſsionem fœderalem,* Ero Deus tuus & ſeminis tui poſt te, *quam ceu clypeum Achillis obvertunt: concedimus libenter. eam non in populo duntaxat Iſraelitico, ſed hodie quoque in Eccleſia Novi Teſtamenti eſſe ratam & firmam, & ad omnes omninò fideles pertinere: verùm non abſolutâ ratione, quomodocunque illi ſeſe habeant: ſed cum conditione fœderis reciprocâ de cuſtodiendo pacto Dei.*

125. Immediatè enim ſubiecit Deus in acti-
Gen. 17, 9. *one hac fœderali cum Abrahamo initâ:* Et tu ergo cuſtodies pactum meum, & ſemen tuum poſt te in generationibus ſuis. Hoc autem eſt pactum meum, circumcidetur ex vobis omne maſculinum &c.

Qemad-